

facinus—non enim ut in Romanos uerterent arma agebatur—, et merces quanta uel pro bello satis esset dabatur ne bellum gererent, et cum quies ipsa, tum reditus domum fructusque uidendi suos suaque grata uolgo erant. Itaque non ducibus 5 facilius quam multitudini persuasum est. Simul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, si ui retinerent. Id quidem cauendum semper Romanis ducibus erit 6 exemplaue haec uere pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis ut non plus sui roboris suarumque proprie uirium in castris habeant. Signis repente sublatis Celtiberi 7 abeunt, nihil aliud quaerentibus causam obtestantibusque ut manerent Romanis respondentes quam domestico se auocari bello. Scipio, postquam socii nec precibus nec ui retineri 8 poterant, nec se aut parem sine illis hosti esse aut fratri rursus coniungi uidit posse, nec ullum aliud salutare consilium in promptu esse, retro quantum posset cedere statuit, in id omni cura intentus nec ubi hosti aequo se committeret 9 loco, qui transgressus flumen prope uestigiis abeuntium insistebat.

Per eosdem dies P. Scipionem par terror, periculum maius 34 ab nouo hoste urgebat. Masinissa erat iuuenis, eo tempore 2 socius Carthaginensium, quem deinde clarum potentemque Romana fecit amicitia. Is tum cum equitatu Numidarum et aduenienti P. Scipioni occurrit et deinde adsidue dies noctesque infestus aderat, ut non uagos tantum procul 4